



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In  
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

X. Christianorum ea de re doctrina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](#)

## 52      BONA VOLUNTAS

toto de Providentia libro apertè exse-  
quitur. En igitur nobilissimorum Stoï-  
corum ἀπάθειαν, constantiamque invi-  
etam, inter quotidianas rerum mutatio-  
nes: ex eo quod in illis Dei ductum per-  
petuò attendere consuefissent.

X.      Mavis à Christianis id docu-  
Christiano-  
rum eadē re  
doctrina. mentum haurire? Adi Doro-  
theum, insignem ascetices ma-  
gistrum, integrum tibi eâ de re concio-  
nem inculcabit, Doctrinâ septimâ, quæ  
tota est *de omnibus contingentibus ad Deum*  
*referendis*. Invenies illic, de sene quodam  
ægro consueto ad Deum cuncta referre:  
qui, cùm ministri errore oleum pro pul-  
mento infusum esset, gustatumque absque  
ullo animi aut vultus motu se posuisset,  
ministro errorem denique advertenti &  
excusanti, nîl quidquam dixit, nisi, Fili sic  
Deus voluit. Genesis cap. 27. Isaacus  
ævo gravis, & oculis præ senio captus,  
Jacobum percunctatus, unde ipsi tam  
citò præda, cùm hic respondisset, Dei  
voluntatem fuisse, ut citò occurreret,  
quod volebat: *Vox, inquit, vox Jacob est;*  
sen

*sed manus, manus sunt Esaii.* Vocem Jacobi agnoscit, non tantum quia lenior exibat, quam ex ore asperi & agrestis venatoris: sed quia sonabat voluntatem Dei, cuius mentioni Jacob assueverat ad quotidiana eventa. Didicerat à Rebecca matre, cui casus non fuit, ad puteum occurrisse Eliezeri. Didicerat à Melchisedecho Rege Salem seu Pacis, quando in ejus disciplinam à parentibus datus vir simplex, & unum in omnibus Deum querere assuescens, habitabat in tabernaculis.

XI. *Quanta inde tranquillitas.* Nec verò quidquam est potentius ad subitos animi motus componendos, pacemque animi inter foruita incurritia servandam, quam ea non ut fortuita accipere, sed ut à Deo destinata, qualiacumque sint. Mirati sunt parentes nostri compositissimum Philippi Secundi Hispaniarum Regis animum, & ne subitis quidem, atque improvisis tangi facilem. Ad majora ventura meditationibus comparamus, ideoque venientibus minùs percellimur: mi-